QUINTÒ, objiciunt videri fabulosum, quod A cor & jecur piscis virtutem habeant contra dæmonem, de quo dicit Job cap. 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.*

SEXTÒ, Tobias cap. 13. & 14. dicit Jerusalem jam tùm fuisse desolatam & incensam, populumque Juda captivum; cùm tamen ista non potuerint accidere ipso vivente; quippe, qui non plus quam annis centum & duobus vixerit; à tempore autem quo Salmanasar abduxit decem tribus (& in eis Tobiam) fluxerint anni centum triginta quinque, ut ex l. 4. Reg. potest colligi.

SEPTIMÒ, Posset objici narratio, quæ B est de cane Tobiæ: sed responsum dedimus art. 3. ad 8.

OCTAVÒ, posset quoque opponi quod Lutherus ait (Tobias de se loquitur in prima persona: ergo ejus liber non est recipiendus;) nisi argumentum esset prorsùs indignum quod proponatur, quid enim aut libri, aut historiæ veritati officere potest, quod author, seu scriptor de se loquatur in prima persona? Quare ex eadem causa non excludit è numero sacrorum librorum, librum Nehemiæ qui cap. 1. & 2. Prophetiam Isaiæ, qui cap. 6. Ezechielis, qui cap. 1. & 2. Danielis, qui cap. 2. 8. 9. de seipsis loquuntur in prima persona? itemque, Pauli Apostoli epistolas, C ubi frequenter de seipso in prima persona loquitur, è contrario, Faustus Manichæus volebat Matthæi Evangelium non esse recipiendum, quia de se non loquitur in prima persona. *Quam elegantem rem* (ait Aug: lib. 17. contra Faustum cap. 4.) *sibi visus est Faustus dicere, ubi propterea voluit non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cùm de sua electione diceret, non ait: vidit me, & dixit mihi, sequere me: sed, vidit Matthæum & dixit ei, sequere me:* Ita nimirùm hæreses nescit in medio consistere; sed in extrema declinat non veritatem sequens, sed quodlibet etiam falsissimum & ineptissimum obtrudens, modò apud imperitos possit difficultatem aliquam prætexere. D

Liber Tobiæ est sacer & canonicus.

Liber Tobiæ ab initio Ecclesiæ fuit habitus sacer.

PRIUSQUAM istæ objectiones diluantur, præmittendum est librum Tobiæ jam olim (priusquam Ecclesia certum aliquem canonem definiret, de quo art. 9. diximus) ab antiquis sive Patribus sive scriptoribus habitum fuisse ut sacram Scripturam.

Clemens enim Rom. epist. 1. dùm sententiam ex Tobiæ 4. allegat; *In veteri* (inquit) *testamento scriptum habetur: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Polycarpus epist. ad Philipp. dicens, *Quum potestis bene facere, nolite differre*; & hanc rationem E adferens, quod *eleemosyna a morte liberat*, non aliundè quam ex Tob. 4. eam adfert.

Clem. Alex. lib. 6. Stromatum, *exaudiens*, ait, *scripturam, quæ dicit bonum est jejunium cum oratione*; quæ scriptura ex Tob. 12 sumpta est.

Origenes hom. 27. in Numeros: *His cum recitatur talis aliqua divinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt, ut est libellus Esther, aut Judith, vel etiam Tobiæ, aut mandata Sapientiæ.* Et in cap. 11. ad Rom. ita citat verba ex cap. 12. Tobiæ, *Mysterium regis ait scriptura, celare bonum est.*

Alexander primus epist. 1. *Si Trinitas non est, cur Tobias &c. ita dixisse docetur; Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis? Si unitas non est, quare ipse impleat, dixit; & non ipsi impleant, intimavit?* Verba citat Raguelis ex cap. 7. Tobiæ.

Athanasius in Apolog. ad Constantium, *Hos* (prudentes christianos) *tibi consulendos interrogandosque puta, Imperator, non autem obtrectatores, quum de illis quidem scriptum sit* (in sacra utique scriptura scilicet Isaiæ 32.) *Stultus tibi stulta loquetur: de istis autem præcipiatur, Ab omni sapiente accipe consilium*, nimirùm Tob 4. & Apocalyp. 2. contra Arianos; *Nec pudet eos coram catechumenis, & quod pejus est, coram Ethnicis, ita de mysterijs tragicari, cum oporteat sicut scriptum est* (Tob. 12.) *mysterium regis celare.*

Chrysostomus in serm. de pœnitentia, *Scriptum est* (scilicet Tob. 12.) ait, *quoniam eleemosyna a morte liberat.*

Calixtus 1. epist. 2. *Bene sacra ait scriptura. Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.*

Cyprian. super oration. Dominic. *Scriptura divina instruit dicens.* (Tobiæ 12.) *Bona est oratio cum jejunio & eleëmosyna*, Ubi Cyprianus alia plura ex eodem cap. adducit. Ex cap. autem 4. sic in tract. de opere & eleëmosynis allegat: *Loquitur in scripturis divinis Spiritus sanctus, & dicit, eleëmosynis & fide delicta purgantur:* & aliquantò post, plura ex c. 12. adfert.

Ambrosius lib. 10. epist. 82. *Quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra, cùm scriptura dicat, jejunium & eleëmosyna a peccato liberat*, quod est ex Tob. 4. & 12.

Idem Ambrosius initio libri de Tobia. *Lecto*, inquit, *prophetico libro qui inscribitur Tobias, quamvis plenè vobis virtutes sancti Prophetæ scriptura insinuarit* &c. Qui plura de sanctis patribus asserentibus librum Tobiæ esse scripturam sacram, desiderat testimonia; consulere potest Lorcam l. 1. de locis disp. 3. membro 3. numer. 37 necnon thesaurum catholicum Judoci Coccij, tom. 1. lib. 6. & videre quæ ex Concilijs & Pontificibus art. 9. attulimus.

His ita præmissis.

Responsio ad argumenta.

AD 1. ARG. RESP. Neg. Ass. Non enim est novum quod in eadem provincia duæ sint urbes ejusdem nominis; sicut in eadem provincia Syriæ erant duæ Cæsareæ; una Philippi dicta alia Palestinæ. Sic ergo in eadem Media duæ erant civitates quæ vocabantur Rages. Una, quæ etiam vocabatur Ecbatana, unde cap. 3. habetur *Ecbatanis*, ubi nos habemus Rages: & alia c. 4. 5. 6. 9. &c. quæ solùm appellabatur Rages. *Duæ Rages in Media.*

AD 2. RESP. nullum illic esse mendacium Angeli; partim quia verè erat Azarias, id est auxilium Domini, filius Ananiæ, id est divinæ gratiæ; id quod verba illa significant, partim quia specie externa formam & personam gerebat Azariæ filij magni Ananiæ. Sicut ergo imago regis absque mendacio vocatur rex; & sicut Angelus in persona Dei loquens, Deumque ipsum repræsentans, dicit *Ego sum Deus Bethel* Gen. 31. *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exod. 3. 20. & alibi: ita potuit Raphael dicere, *Ego sum Ananias* &c. *Explicantur verba Raphaelis.*

AD 3. RESP. nullam ibi esse repugnantiam: sed quod de jecore omissum erat cap. 6. v. 8. exprimitur